

CLASSIS II.

PLANTÆ MONOCOTYLEDONES.

STAMINA HYPOGYNA.

**CALIX** inferus mono aut polyphyllus aut nullus. Corolla nulla. Stamina hypogyna, seu sub pistillo inferta, sæpè definita, rariùs indefinita. Germen superum simplex; stylus unicus aut multiplex aut nullus; stigma simplex aut partitum. Semen unicum, nudum tectumve, aut fructus unilocularis mono vel polyspermus. Folia plerumque alterna & vaginantia. Flores interdùm abortu diclines.

*Oss.* Quæ postea de staminibus apud Dicotyledones hypogynis (Clasf. 7. 13.) dicentur, eadem ferè nunc Monocotyledonibus hypogynis tribuenda.

Quadruplex in hac classe disponitur ordo, singulus naturalis, nempe 1°. Aroideæ à subsequentibus plurimùm discrepantes, nulli tamen alteri classi rectiùs adjiciendæ, donec innotuerit germinatio; 2°. Typhæ floribus aroideo more ferè dispositis, Cype-roideis tamen viciniore, sed diversè germinantes; 3°. Cype-roideæ inter Typhas & Gramineas mediæ, his præcipuè affines; 4°. Gramineæ demùm floratione & fructu distinctæ, ordinem verè naturalem nemine dissentiente constituentes. Connectitur classis hinc præcedenti (I) quia Aroideæ Naiadibus quibusdam analogæ, indè sequenti (III) quia parùm dissentiunt à Palmis & Juncis Gramineæ.

ORDO I.

AROIDEÆ, LES AROIDES.

**SPADIX** simplex multiflorus, spathâ involutus aut nudus. Calix nullus aut simplex. Stamina definita aut

B 4

indefinita, spadici inserta. Germina ex eodem spadice nata, nuda aut cincta calice, nunc staminibus mixta, nunc ab eisdem segregata; styli totidem aut nulli; stigmata totidem. Fructus totidem uniloculares mono aut polyspermi. Corculum in perispermio carnoso centrale. Folia vaginantia alterna, sæpius omnia radicalia. Spadix sæpè solitarius, insidens summo cauli aut sæpius scapo radicali. Plantæ rarius caulescentes; quædam sexuum dispositione admodum irregulares.

#### I. Spadix spathâ involutus.

- AMBROSINIA**, L. \* Spadix complanatus, dissepimenti instar tubum spathæ convolutæ bipartiens; in loculo posteriori infra nudus 2-glandulosus, supra staminifer antheris sessilibus numerosis; in anteriori supra nudus, basi monogynus, stylo & stigmate simplici, capsulâ polyspermâ.
- ZOSTERA**, L. \* **ALGA**, T. \* Folium vaginans, spathæ vicem gerens. Spadix linearis planus, alterâ paginâ nudus, alterâ rectus supra antheris pluribus subsessilibus, infra germinibus paucioribus nudis. Styli 0; stigmata simplicia. Capsulæ membranaceæ 1-spermæ.
- ARUM**, T. L. \* **DRACUNCULUS**, T. \* **ARISARUM**, T. \* *Gouet; Serpentaire*. Spatha ventricosa, basi convoluta. Spadix cylindricus apice nudus, subtus staminifer antheris 4-gonis sessilibus numerosis, infra duplici cirrhorum ordine instructus, basi rectus germinibus numerosis nudis. Styli 0; stigmata simplicia villosa. Baccæ globosæ 1-spermæ aut rarius polyspermæ. *Folia Ari T. sagittata, Dracunculi T. multifida; spatha utriusque magna patens, Arisari T. parva connivens.*
- CALLA**, L. \* Spatha plana aut cucullata. Spadix cylindricus rectus antheris & germinibus commixtis nudis (in *C. æthiopicâ* basi tantum germinifer). Styli brevissimi; stigmata acuta. Baccæ polyspermæ. *An cirrhi intermixti.*
- DRACONTIUM**, L. \* Spatha cymbiformis. Spadix cylindricus brevis, floribus rectus. Singulis calix 5-partitus coloratus. Stamina 7 antheris 4-angulis. Germen 1; stylus 1; stigma 3-gonum. Bacca polysperma. *Huc fortè referenda Quebica, Aubl. Guyan. t. 327. (suadente ipso autore), cui caulis tortuosus, folia alterna, flores minimi non descripti, in spiculam axillarem basi bracteolatam aut spathaceam dispositi.*
- POTHOS**, L. \* Spatha globosâ. Spadix brevis, incrassatus, floribus rectus. Singulis calix 4-partitus. Stamina 4. Germen 2 truncatum; stylus 0; stigma 1. Bacca 1-sperma.

**HOUTTUYNIA**, Thunb. \* Spatha cordata, folio similis. Spadix oblongus pedunculatus, è spathæ petiolo vaginante erumpens, cinctus involucri seu calice communi 4-phylo, tectus germinibus. Stamina plurima supra spadicem germinibus intermixta, circa singulum circiter septena. Capsulæ 3-gonæ... *Herba caule simplici; folia alterna petiolo infra (vaginante?) 2-alato, quasi 2-stipulaceo. Character ex Thunb. Jap., mutato partium quarundam nomine. An Naiadibus affiniior?*

I I. Spadix nudus, spathâ destitutus.

**ORONTIUM**, L. \* Spadix cylindraceus, flosculis tectus. Calix 6-partitus persistens. Stamina 6, laciniis calicinis alterna. Germen 1; stylus 0; stigma 2-fidum. Folliculus tenuis 1-spermus; calice tectus, immerfus spadici.

**ACORUS**, T. L. \* Spadix cylindricus flosculis tectus. Calix 6-partitus persistens. Stamina 6, (calici inferta?). Germen 1; stylus 0; stigma punctum prominens. Capsula 3-gona 3-sperma (3-locul. polysp. ex Linn.). *Spadix innascens medio folio ultra producto amulanti spatham planam. Affiniior fortè Juncis, ex Bern. Jussæo.*

*Obs.* Germinatio præcipuos Aroidearum datura characteres, nondum satis patefcit. Monocotyledones judicantur, à cæteris tamen diversæ: quod ulterius observandum. Stamina, quamvis dispositione parùm regularia, hypogyna dicuntur quia semper affixa sunt spadici simul germinifero, seu quod idem est, germinum receptaculo. An Saururus & congeneres huc referendi; an idem de Pipere quoad habitum sat simili? Quis in Aro cirrhorum usus? An ordini affinis Pandanus?